

_Lettera_N_1454

Al papa Pio IX

*Datum Taurini, die 20 Augusti 1870

Beatissime Pater,

Joannes Bosco Sacerdos Superior Generalis Piae Societatis a S. Francisco Salesio dictae, Beatitudinis tuae ad pedes provolutus humillime exponit Divina Providentia factum esse, ut in urbe, vulgo Alasio nuncupata, Dioeceseos Albinganensis in Littore Ligure, collegium convictusque adolescentulorum studio dediturum, ejusdemque administratio eidem societati demandata esset.

Omnia quae hucusque facta sunt, semper de Ordinarii consensu et consilio peracta sunt.

At decreto laudationis et approbationis salesianae societatis, inter alias haec animadversio adnectabatur: «Pro fundatione novarum domorum, et pro suscipienda in posterum ab Ordinariis directione Seminariorum recurrendum erit in singulis casibus ad Sanctam Sedem».

Licet vero stricte loquendo haec potius temporaria administratio, quam novae domus fundatio sit appellanda, tamen ad dubia eliminanda et ad debitum Sanctae Sedis obsequium praestandum, facultates quae ad majorem Dei Gloriam promovendam necessariae censentur, a Beatitudine Tua humiliter precatione expostulantur

Sac. J. Bosco